



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

IX. Quòd nos & omnia nostra Deo debemus offere, & pro omnibus orare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Est firma sententia mea: Nisi quis
 renuntiaverit omnibus, non potest
 meus esse discipulus. Tu ergo si op-
 tas meus esse discipulus, offer te ip-
 sum mihi, cum affectionibus
 tuis.

C A P U T IX.

*Quod nos & omnia nostra Deo de-
 bemus offerre, & pro omnibus
 orare.*

V O X D I S C I P U L I .

I. **D**omine, omnia tua sunt, quæ
 in cœlo sunt, & quæ in
 terra.

Desidero me ipsum tibi in spon-
 taneam oblationem offerre, & tu-
 us perpetuè permanere.

Domine, in simplicitate cordis
 mei offero me ipsum tibi hodie
 in servum sempiternum, in obse-
 quiuum & in sacrificium laudis per-
 petuæ.

Suscipe

Suscipe me cum hac sancta oblatione tui pretiosi Corporis , quam tibi hodie in præsentia Angelorum invisibiliter assistentium offero , ut sit pro me & pro cuncto populo tuo in salutem.

2. Domine , offero tibi omnia peccata & delicta mea , quæ commisi coram te & sanctis Angelis tuis , à die quo primum peccare potui usque ad horam hanc , super placabili altari tuo , ut tu omnia pariter incendas & comburas igne charitatis tuæ , & deleas universas maculas peccatorum meorum ? & conscientiam meam ab omni delicto emundes , & restituas mihi gratiam tuam , quam peccando amisī , omnia mihi plenè indulgendo , & in osculum pacis me misericorditer assumendo.

3. Quid possum agere pro peccatis meis , nisi humiliter ea confitendo & lamentando , & tuam propitiacionem incessanter deprecando ?

Deprecor te , exaudi me propitiatus ,

pitius, ubi asto coram te Deus meus,

Omnia peccata mea mihi maxime
displacent, nolo ea unquam amplius
perpetrare : sed pro eis doleo, & do-
lebo , quandiu vixero , paratus
pœnitentiam agere , & pro posse sa-
tisfacere.

Dimitte mihi Deus , dimitte mihi
peccata mea , propter nomen san-
ctum tuum : salva animam meam,
quam pretioso Sanguine tuo redi-
misti.

Ecce committo me misericordia
tuæ, resigno me manibus tuis.

Age mecum secundum bonitatem
tuam, non secundum meam maliti-
am & iniquitatem.

4. Offero etiam tibi omnia bona
mea, quamvis valde pauca & imper-
fecta ; ut tu ea emendas & sanctifiques;
ut ea grata babeas , & accepta tibi fa-
cias , & semper ad meliora trahas ;
nec non ad beatum ac laudabilem
finem me pigrum & inutilem ho-
muncionem perducas.

5. Offero quoque tibi omnia pia
desi-

desideria devotorum , necessitates
parentum , amicorum , fratribus ,
sororum , omniumque charorum
meorum , & eorum , qui mihi vel
aliis propter amorem tuum benefi-
cerunt :

Et qui Orationes & Missas pro se
suisque omnibus dici à me desidera-
verunt & petierunt ; five in carnē
adhuc vivant, five jam sēculo defun-
cti sint :

Ut omnes sibi auxilium gratiæ
tuæ , opem consolationis , prote-
ctionem à periculis , liberationem à
pœnis advenire sentiant ; & ut ab
omnibus malis erepti , gratias tibi
magnificas læti persolvant.

6. Offero etiam tibi preces & ho-
stias placationis , pro illis specialiter
qui me in aliquo læserunt , contrista-
verunt , aut vituperaverunt , vel
aliquid damnum vel gravamen in-
tulerunt :

Pro his quoque omnibus quos
aliquando contristavi , conturba-
vi , gravavi , & scandalizavi , verbis ,
factis ,

factis , scienter vel ignoranter : ut
nobis omnibus pariter indulgeas
peccata nostra & mutuas offendio-
nes.

Aufer, Domine, à cordibus nostris
omnem suspicionem , indignatio-
nem , iram & disceptationem , &
quidquid potest charitatem lacerare,
& fraternalm dilectionem minu-
ere.

Miserere , miserere Domine , mi-
sericordiam tuam poscentibus , da
gratiam indigentibus ; & fac nos ta-
les existere , ut simus digni gratiâ tuâ
perfui , & ad vitam proficiamus
æternam. Amen.

C A P U T X.

*Quod sacra communio de facili non
est relinquenda.*

V O X D I L E C T I .

I. **F**requenter recurrentum est
ad fontem gratiæ & divinæ
misericordiæ , ad fontem bonitatis
& totius puritatis : quatenus à passio-
nibus